

dictorum heredum suorum. Item duodecim pauperibus pro duodecim Tunicis eis faciendis florenos duodecim. Item uncias duas pro emenda possessione, quam possessionem dare voluit dicto dompno Antonio de lilla donec vixerit et teneatur diversas missas pro anima ipsius testatoris, et post mortem debeat dare alteri sacerdoti ipsius *etc.* Item voluit et mandavit quod de vendemia proxima futura ex dictis vineis legatis et non legatis per eum, satisfaciantur (*sic*) legata predicta. Item legavit fratri Paulo ordinis templi Ierosolimitani qui moratur in pennachotarenos tres. Item asseruit se habere in cluso Forleti vineas sex, iuxta vineas heredum qd. Sanguini speciarii et alios confines. Item vineas quinque et ordines (*manga*) sitas in cluso marangii iuxta vineas heredum qd. Iohannis de galiano et alios confines. Et voluit et mandavit quod altera ipsarum sororum suarum succedat alteri in ipsis vineis. Et post mortem sororum ipsarum perveniant ad Clericos seculares Sancti Sepulcri in hunc modum videlicet. quod ipse vinee vendantur per probos viros seculares et de ipsarum pecunia emantur libri et paramenta et dentur dicte Ecclesie Sancti Sepulcri. Item legavit operi Ecclesie Sancte Marie de episcopio de barolo tarenos quindecim. Item ordinavit executores et distributores presentis testamenti predictas Pascam et Cobellam nec non Colucium cordanerium cognatum suum, Nicolaum notarii Iacobi cognatum suum, Malgerium Iohannem de Regina cordanerium, dompnum Robertum de Ierusalem, dompnum Iohannem de palmerio et dompnum nicolaum Iuncum, predicte terre baroli quemlibet ipsorum Insolidum. quibus executoribus et cuiilibet ipsorum exceptis predictis sororibus suis tarenos sex, pro onore executionis ipsius. Quibus executionibus dedit plenam potestatem in legata *etc.* Item legavit cuiilibet Infrascriptorum testium grana decem. In cuius rei testimonium et domini fratris Nicolai de Perusio, Canonici Ierosolimitani, Prioris Ecclesie Sancti Sepulcri de barolo et in tota Apulia nunc suo (*sic*) et dicte Ecclesie petitionem *etc.*

† Ego Petrus de Palmerio q. s. Iudex predictis interfui et me subscripsi (*Segno*).

† Iudex Masius de riso testatur.

† Notarius Antonius notarii Rogerii testatur.

† Notarius Nicolaus Maroldus testatur.

† Masellus de Lauretta testatur.

† Ego Cictus danna (*sic*) testis sum.

† Ego notarius de bono allibergo testis sum.

† Ego colucius bruni testis sum.

#### *Notitia testium:*

Nicolaus francisci speciarii, Ciccus de Anna, dompnus Ambrosius de naczaret.